



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio C. Vtrùm malitia peccati commiſionis consistat in positivo, an
privativo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

flare potest cum intensis habitibus vitiosis, dum nimirum peccator post gravia diuturno tempore admitta delicta, per actum contritionis, vel sacramentum etiam penitentiae recipit gratiam. Ratio utriusque est, boni siquidem & mali habitus

naturales, ut paulatim & successivè communiter acquiruntur, ita non nisi successivè, saltem ut plurimum, desinunt ac destruantur. Plura hac de re infra, Disp. 101. sect. 2. num. sexto.

DISPUTATIO C.

Virum malitia peccati commissionis consistat in positivo, an privato.

PRÆCIPUA circa peccatum commissionis, acerrimèque in Scholis disputata questio est, in quo formaliter ejus malitia consistat, positivo an negativo, privatione scilicet rectitudinis inesse debita, qua de re non levem video inter Auctores dissensionem. Tres quippe sunt sententiae, quarum singula patronos habent non infima nota Theologos: prima eam in privato statuit; secunda in positivo; tertia in utroque. Quid in hac controversiâ dicendum sit, sequentibus Sectionibus videbimus.

SECTIO PRIMA.

Refertur & impugnatur sententia, peccati commissionis malitiam statuens in privato.

I.
Quid nomine peccati commissionis intelligatur.



AD rectam hujus difficultatis intelligentiam præmittendum, peccatum commissionis illud dici, quo quis legem transgreditur per quam aliquid prohibetur, seu per quam præcipitur ne aliquid fiat, quod proinde quisquis præstat, reus hujus præcepti efficitur, & in peccatum commissionis incidit. Quando autem jubetur aliquid fieri, quisquis hanc legem vel præceptum violat, seu non facit quod mandatur, in omissionis peccatum censetur incurrisse.

Peccatum omissionis.

II.
Prima sententia affirmat malitiam morale peccati commissionis consistere in privato.

Prima itaque sententia affirmat formale, seu malitiam morale peccati commissionis consistere in aliquo negativo, carentiâ scilicet alicujus perfectionis, seu privatione rectitudinis inesse debita. Hæc sententia satis tum inter antiquos Scriptores, tum modernos est communis: eam tenet Scotus in 2. d. 37. Halensis 2. p. q. 94. membro 2. Durandus d. 34. q. 2. Gabriel. Aureolus, Gregorius. Marfilus, Major, & alii. Eandem sequitur Bellarminus lib. 2. de peccatis, cap. 5. & 18. Valentia 1. 2. d. 2. q. 13. punct. 3. & disp. 6. q. 1. punct. 1. Suarez d. II. Met. sect. 1. num. 17. Acorto. 1. lib. 4. cap. 1. q. 6. Salas q. 18. tract. 7. d. 3. sect. 2. Salmeron tomo 2. tract. 14. Tannerus 1. 2. dist. 2. q. 5. dub. 2. & d. 4. q. 1. dub. Granado Controv. 6. tract. 1. Disp. primâ, sect. 2. num. 7. & alii. Ex antiquioribus verò præter citatos idem tenet S. Bonaventura in 2. dist. 34. art. 2. q. 3. Richardus a. 1. q. 7. & dist. 35. art. 1. q. 1. Okam quodlibeto 3. q. 15. Capreolus distinctione 35. quest. unicâ, artic. tertio, cum aliis.

III.
Alia est sententia per se etiam differtur.
Probatur hæc sententia primò: in omni quippe peccato est privatio rectitudinis inesse debita, ratione cujus, actus ille positivus redditur malus, & rationi difformis. Sed contrâ; nam præterquam quòd, ut postea ostendetur, actus ipse positivus per se & suam entitatem sit rationi difformis,

IV.
Odiu excludit amorem boni est per suam entitatem malum.
Impugnatur hæc ratio primò: ista enim privatio vel est carentia rectitudinis inesse debita subiecto, vel actui; si primum, ergo actus est malus, non per aliquid privativum, sed per suam entitatem positivam, ideo enim esset malus actus odii exempli gratiâ quia est causa carentiæ rectitudinis debita inesse subiecto, quæ rectitudo secundum hos auctores est amor, sed odium secundum suam entitatem præcisè est causa carentiæ amoris, cum hunc formaliter per suam entitatem excludat, ergo odium per suam entitatem est malum.

V.
Alia est diffinitio ad rationem in odio habenda Deum, alia in cum non amate.
Dices: denominari odium malum à negatione amoris. Contrâ primò: alia namque est diffinitio in ordine ad rectam rationem in odio Dei, alia in eum non amando, etiam quando urget præceptum amoris, & illa est hac multò gravior, ut videtur manifestum, sicut non dare eleemosynam & aliena rapere, non liberare hominem è manibus eum occidentium & vulnus ei lethale infligere, & alia hujusmodi. Contrâ secundò: frequenter enim contingere potest, ut quis actum odii eliciat, quando non urget præceptum amoris; præcepta enim positiva secundum omnes non obligant pro semper, ergo inhonestas odii non est negatio amoris, sed ipsa positiva entitas odii.

VI.
Non operatur plerumque homines per actus reflexos, & in actu signato, sed in actu exercito.
Dices secundò: licet quidem absolute, & in sensu diviso volitionis odii, non teneatur quis elicere actum amoris Dei, ex suppositione tamen quod velit circa Deum versari, tenetur elicere actum amoris. Contrâ: non enim habet quis actus hujusmodi pravios, quibus in actu signato prius versari velit circa hoc vel illud objectum, ita ut amor, odium, & alii actus positivi sint formali.

lum actus imperati; licet enim id aliquando possit contingere, plerumque tamen homines in actu tantum exercito se determinant, & primus actus qui elicitur, est odium; tunc ergo, si aliunde non urgeat præceptum amoris, sicut frequenter non urget, nulla est peculiaris obligatio amoris: cum enim nihil aliud in actu primo præcedat actum secundum præter ipsam potentiam eliciendi actum amoris vel odii, hinc præcisè nulla oritur obligatio, ut diximus. Ulterius cum in hoc casu non alio actu versari velit circa Deum, quam per ipsum odium, non potest eum amare, ergo ex suppositione versandi circa Deum non oritur obligatio amoris.

Quando non negat præceptum amoris, non est obligatio amoris eliciendi.

VII. Vterius ostenditur odium Dei per suam entitatem intrinsecam esse malum.

Dices tertio: non solum est obligatio positiva amandi, sed est negativa non odio habendi, ratione cuius odium est malum. Contra: hæc negatio odii est bona moraliter, ergo odium illam tollens, vel hoc titulo est per suam positivam entitatem malum. Tandem nulla est implicatio ut Deus alicui paret concursum universalem tantum ad actum malum, odium v. g. & illius negationem (quod de facto putat Molina & alii nonnulli contingere in demonibus) quo in casu actus odii esset liberè elicitus, & malus moraliter, cum tamen nulla in illo foret obligatio eliciendi actum amoris, cum tunc eum elicere non posset, ergo præcisè actus odii esset malus quia tollit vel impedit negationem sui liberam, & consequenter formaliter ratione positivæ entitatis.

VIII. Privatio rectitudinis privativa non furandi est entitas furti.

Dices quarto: rectitudinem illam, cuius privatio constituit malitiam formalem peccati commissionis, non esse perfectionem positivam sed negativam, non violationem scilicet legis. Contra: hoc probare videtur malitiam peccati commissionis consistere in positivo, cum privativum formaliter tollatur per oppositum positivum, ergo privatio rectitudinis privativæ, non furandi exempli gratiâ, non blasphemandi, &c. est formaliter ipsa entitas positiva furti & blasphemie &c. Negant consequentiam, eamque formaliter consistere dicunt in aliâ negatione, nempe in negatione negationis hujus rectitudinis. Sed contra primo: negatio enim negationis est ipsa forma positiva ei opposita, negatio siquidem negationis caloris aut frigoris est ipse calor aut frigus: sicut enim negatio formæ positivæ est ipsa illius carentia, ita negatio carentiæ est forma positiva, & omnino gratis poneretur aliud. Contra secundò: si negatio hujus negationis sit distincta à formâ positivâ sive non, idè negatio hæc est mala, quia tollit illam perfectionem negativam, sed non minus illam tollit forma positiva, furtum v. g. ergo furtum non minus erit malum, quam illa negatio.

Negatio negationis semper est quid positivum.

Forma positiva aquæ est mala, atque hæc negatio.

SECTIO SECUNDA.

Præcluditur alia via defendendi malitiam peccati commissionis consistere in privativo.

I. Malitia peccati commissionis non est privatio rectitudinis debite inesse actui.

MALITIA itaque peccati non est privatio rectitudinis inesse debite subjecto: quod verò nec sit privatio rectitudinis debite inesse actui, quæ erat secunda pars impugnationis supra positæ, probatur primo: ipse enim actus positivus est per se & suam entitatem malus moraliter, & difformis rationi, ergo non per privationem ali-

R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

cujus rectitudinis, sed per se. Secundò quia nulla rectitudo vel debet, vel potest inesse actui malo, odio Dei exempli gratiâ; nec enim odium magis potest esse amor, quam equus leo, ergo malitia illius moralis, seu libera non in ulla privatione, sed in ipsâ positivâ actus entitate consistit.

Dices, actum quidem odii secundum suam rationem specificam, non posse esse amorem, posse tamen secundum genericam, actus namque positivus versans circa Deum indifferens est pro illo priori, ut vel ad amorem contrahatur, vel ad odium. Contra primo: hæc enim responsio ut existimo planè recidit in illam jam impugnatam, de rectitudine debita inesse subjecto, non actui; nihil enim est pro illo priori præter potentiam eliciendi vel hunc actum vel illum, amorem scilicet vel odium; gradus enim genericus, cum realiter identificetur cum specifico, non est realiter & specificè contrahibilis, nunc ab unâ specie nunc ab aliâ, sed quæ identificatur cum unâ specie, semper cum illâ identificatur; nec ratio qualitatis, spiritualitatis, aut vitalitatis, quæ est in odio, potuisset esse in amore, sed solum erat pro aliquo priori potestas in voluntate, loco hujus qualitatis, spiritualitatis, & vitalitatis identificatæ cum odio, eliciendi aliam identificatam cum amore, nec alio modo sunt rationes genericæ indifferentes respectu specierum, vel specificæ respectu individuorum, nisi tantum per intellectum; nec enim dantur, aut dari possunt à parte rei, vivens, animal, homo, & alia hujusmodi rationes, quæ sint quasi primò capientis, & aptæ ut realiter vel ad hanc speciem rapiantur, vel ad aliam. Quare realiter & Physicè loquendo ratio generica non potest à parte rei esse capax rectitudinis, ubi ratio specifica est illius rectitudinis à parte rei incapax, quidquid sit per intellectum.

II. Dices: actus adit potuisset esse amor secundum rationem genericam.

Contra: ratio generica & specificæ realiter identificantur, quæ identificatur cum unâ specie, non potest una esse indifferens, altera determinata.

Inter prædicata metaphysica dicitur nequit huiusmodi indifferencia realis.

Contra secundò: quod repugnat ratione differentie specificæ, repugnat simpliciter, licet quantum ad rationem genericam præcisè non sit incapax: sic igni repugnat frigidificare, aquæ calefacere, lapidi ascendere, bruto ratiocinari, quamvis nec ratione substantiæ, nec corporis, nec viventis aut animalis, hæc iis repugnent, ergo actui odii simpliciter repugnat rectitudo, vel amoris, vel alia quæcumque, quamvis præcisè in ratione genericâ nulla appareat repugnantia.

III. Simpliciter repugnat id, quod repugnat ob rationem specificam.

Dices, Aristotelem quintò Metaphysicorum cap. 22. asserere talpam esse cæcam ratione generis, ergo debebat ex ratione animalis videre. Respondetur non loqui illic Aristotelem de privatione propriè dictâ, cum & plantam ibidem dicat esse privatam oculis: & universim illa privari re aliqua dicuntur, quæ eam non habent: sic invisibile dicit Aristoteles esse privationem, licet procul dubio in pluribus rebus, quæ oculis cerni nequeunt, invisibilitas sit pura negatio. Ad illud ergo quod dicit de talpâ, Respondetur non velle ipsum talpam ratione animalis, seu generis in eâ inclusi petere potentiam visivam, hoc enim implicat; nec ob rationem aliquam animalis, reipsâ à differentiis abstractam, & exigentem visionem, nulla quippe est huiusmodi ratio; sed solum vult Philosophus, cum reliqua animalia habeant potentiam visivam, nihil apparere in ratione animalis, per intellectum præcisâ, quo minus etiam talpa habere illam possit. Non ergo loquitur de exigentiâ strictè dictâ (alio etenim modo ibidem talpam cæcam esse dicit, alio hominem) sed solum de potentiâ remotâ, quæ generi, id est majori parti individuorum sub genere animalis constitutorum competere potest.

IV. Quo sensu dicit Aristoteles talpam esse cæcam ratione generis.

Alio modo dicit Aristoteles talpam esse cæcam, alio modo hominem.

V. Tandem esto gradus genericus foret ad varias species contrahibilis, non tamen petit magis ad unam contrahi, quam ad aliam, cum ad omnes sit indifferens, ergo conceptus actus voluntatis, qui est gradus genericus ad amorem & odium, æquè petit ad odium contrahi, atque ad amorem. Dices: Physicè quidem æquè hoc petere, non tamen moraliter, ratio enim naturalis dicit omnem actum humanum habere debere rectitudinē. Respondetur rationem naturalem hoc non dicitare, cum sit impossibile ut dictum est; nec magis potest actus malus esse vel fuisse bonus, quam homo equus, vel e contra. Recta quidem ratio præscribit, ut omnis actus elicitus sit bonus hoc sensu, id est ut nullus eliciatur, nisi bonus, non tamen ut actus omnis humanus contrahatur ad rationem specificam boni: primum autem ad summum arguit, quando elicitur actus malus deesse rectitudinem ex parte subjecti, non ex parte actus, vel potius esse aliquam deordinationem positivam ex parte subjecti quæ esse non deberet; unde omnis actus humanus, nec in se petit, nec petere potest, rectitudinem.

Gradus genericus non magis petit ad unam speciem contrahi, quam ad aliam; eum ad omnes species sit indifferens.

Quid circa actus humanos præscribat recta ratio.

SECTIO TERTIA.

Malitia peccati commissionis consistit in positivo.

I. SECUNDA ergo, & probabilior sententia affirmat malitiam moralem actus peccaminosi consistere in aliquo positivo, positivam scilicet difformitatem ad rectam rationem: ita Medina, Bannez, Zumel, Cajetanus, hic q. 18. art. 5. & q. 71. art. 6. asserens se non ausurum fuisse hoc dicere, nisi id clarè docuisset S. Thomas: addit tamen huic actui Cajetanus aliam malitiam privativam, in carentiâ rectitudinis sitam, quam vocat malum simpliciter, ideo fortasse quia actus positivus peccati, licet sit malus moraliter, aliquam nihilominus habet bonitatem, nempe transcendentalem, qua de causâ videri alicui posset malus tantummodo secundum quid, seu habens aliquid boni admixtum: at verò privatio illa quam statuit Cajetanus, ita est mala, ut nihil boni, ne quidem transcendentis, aut Physici in se contineat, quam fortè ob causam vocatur ab eo malum simpliciter. Eandem sententiam sequitur Vasquez hic d. 95. cap. 1. Lessius de perfectionibus divinis cap. 27. num. 169. & 179. Ericez. p. tract. 3. d. 27. num. 33. Coninck d. 3. de actibus, dub. 1. Gabriel, Raynaudus, Arriaga de actibus humanis, Disp. 20. sect. 4. num. 44. Amicus hic, Disp. 17. sect. 2. num. 41. estque communissima hodie inter recentiores opinio.

Singularis hac in re opinio Cajetani.

II. Præter ea quæ sectionibus præcedentibus contra priorem sententiam allata sunt, probatur primò: actus ipse positivus quoad suam entitatem præcisè est malus & difformis rectæ rationi, nam per se & formaliter odium Dei, blasphemia &c. sunt quid turpe ac deforme, & contra præceptum non blasphemandi, non odio habendi Deum &c. ergo per se & formaliter sunt mala, & non solum materialiter, seu radicaliter ut respondent aliqui; cum enim formaliter per suam entitatem tollant conformitatem ad præceptum negativum, utpote quæ conformitas consistit in negatione, conformitas exempli gratiâ ad præceptum non furandi est negatio furti, & sic de aliis: cum inquam positivus actus furandi, ut actus positivus est, tollat directè

& formaliter negationem furti, tollit etiam directè & formaliter conformitatem ad legem, sicque per se directè & formaliter est malus. Confirmatur: sicut præceptum positivum violatur formaliter per omissionem, ita & negativum per actum positivum, & sicut illa propterea est mala, ita & actus erit malus.

Actus positivus tollit negationem furti.

Secundò probatur: sequeretur etenim quod vis peccatum esse æqualis malitiæ cum reliquis, imò in quovis peccato esse malitiam omnium peccatorum: odium Dei exempli gratiâ, inquiri cur sit malum? dicitur, quia privatur rectitudine quæ deberet inesse actui: contra actus ille nullam habet rectitudinem, ergo privatur omni, ergo habet privationem omnis rectitudinis, ergo etiam habet omnem malitiam: si enim haberet vel unam rectitudinem, quæcumque demum illa foret, non esset actio mala.

III. Sequeretur omnia peccata commissionis esse æqualis malitiam.

Dices: habet quidem odium Dei absentiam omnis rectitudinis, hæc tamen absentia respectu aliarum rectitudinum est negatio, respectu autem solius formalitatis amoris privatio, cum hæc sola ei debuisset inesse, aliæ autem licet possent, inesse non tamen debeant, sicque est carentia omnis rectitudinis, sed omnis non debebat inesse, ac proinde respectu harum est tantum negatio.

IV. Dicitur: odium Dei habet negationem aliarum rectitudinum, privationem amoris.

At præterquam quod nulla rectitudo vel debet vel poterat inesse huic actui, ut latè ostensum est sect. præcedente. Contra hoc est, nam ex vi præcepti non odio habendi Deum, non tenetur quis nisi ad summum elicere actum aliquem honestum, quo odium illud impediatur, ergo non magis est privatio rectitudinis amoris in odio, quam alterius cujuscumque rectitudinis actus honesti, apti impedire odium.

V. Sed contra: nec amor, nec ulla rectitudo debet inesse actui ovis Dei.

Tertiò probatur: nam ut benè Coninck Disp. illa 3. de actibus, dub. 1. Hurtado d. 7. Metaphysicorum sect. 6. Lessius citatus, & alii, malum Physicum frequenter consistit in aliquo positivo ergo & malum morale; nulla enim videtur solida disparitas assignabilis: antecedit itaque probatur, dolor enim per se, & non tantum quia infert negationem gaudii est homini malus, & per se cruciat; unde licet (sicut divinitus fieri potest, & in Christo contigit) conservaretur adhuc in animâ gaudium, esset nihilominus dolor homini disconveniens, & cruciaret, imò multò gravius ratione suæ positivæ entitatis, quam negationis lætitiæ, quam inducit, tum quia hic & nunc eam non inducit, & tamen summe cruciat, tum quia quis negat multò gravius torqueri dæmones à dolore, quam à negatione lætitiæ, seu gaudii beatifici; hanc enim habent pueri in limbo. Quod si ita sit, ergo dolor per se aliquid mali affert, & disconvenientiæ: & ponamus duos homines, unum merè cum negatione gaudii, alterum cum acerbissimis tormentis, quæ hic infligi possunt, omnes censent hunc multò gravius torqueri, idque ratione cruciatibus, quam ratione negationis delectationis, & si ei daretur optio, utrum liberari vellet à cruciatibus, an simul cum iis habere aliquod oblectamentum, prius haud dubiè eligeret. Confirmatur in calore qui est malus & disconveniens aquæ per se, & foret licet simul cum eo divinitus conservaretur frigus, etiam intensum. In his ergo malis Physicis pleraque adversariorum argumenta ab ipsismet sunt solvenda.

VI. Malum physicum frequenter consistit in aliquo positivo, ergo & malum morale.

Dolor conjunctus in eadem animâ simul cum gaudio, hominem cruciaret.

Calor per se est disconveniens aquæ.

Probatur quartò: illud directè & formaliter est malum, quod directè est recessus à Deo: sed actus odii per suam entitatem præcisè recedit à Deo, utpote quem directè & formaliter averfat; ergo per se & suam entitatem positivam formaliter est malus. Confirmatur ex illo Sancti Augustini passim

VII. Odium Dei per se & directè recedit à Deo, ergo per se est malum.

In entitate
positiva præ
cipue apparet
malitia.

VIII.
Perinde
quoad hoc
est, sive bo
nitas & ma
litas sint a
ctibus in
trinfecis, s
ive extrin
secis.

Solum noto : parum quoad rem præsentem referre, utrum bonitas & malitia actuum sit intrinsecas iis an extrinsecas, id est sola entitas actuum, an illa simul cum circumstantiis : cum enim & ipsa entitas actus voluntatis & intellectus, & etiam circumstantia sint positivæ, tota malitia actus contra præceptum negativum erit positiva.

SECTIO QUARTA.

Mens Sanctorum Patrum circa malitiam peccati sitam in privatio.

I.
Varia asseruntur sanctorum Patrum testimonia, quibus insinuat re videntur malitiam peccati commissionis consistere in privatio.

OBJICIES primò varia testimonia sanctorum Patrum, universim asserentium malitiam omnem in privatione sitam esse, quæ videri possunt in Bellarmino, & Valentia citatis : sic S. Dionysius de divinis nominibus cap. 4. ait Malum morale esse declinationem veri appetitus, & privationem actionis bonæ : item Malum non esse existens, neque aliud, sed perfectionis, bonique proprii privationem. S. etiam Basilus ait, Deum non esse causam malorum : item malum esse desertionem boni. S. Damascenus malum docet esse privationem boni. S. Augustinus tract. 1. in Joannem. peccatum appellat nihil, & ob eam causam ait à Deo factum non esse : item esse defectum, alienationem, sive aversionem à Deo : quo etiam modo loquitur S. Fulgentius : S. Gregorius illud vocat tenebras. Tandem S. Justinus Martyr malum nihil aliud esse ait, quam corruptionem boni : & alia hujusmodi passim in Patribus reperiuntur, tum de malo generatim, tum speciatim de peccato, quæ probare videntur ea in privatio sita esse. Omnium verò difficillimus, meo iudicio, hac in re est locus ille S. Augustini Tomo primo lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 3. ubi sic habet : percontor vos quid sit malum : si dixeritis id quod nocet, neque hic mentemini : deinde subdit, quidquid nocet bono aliquo privat eam rem, cui nocet, nam si nullum bonum admittit, nihil prorsus nocet.

Difficilis locus S. Augustini pro malitia sita in privatio.

II.
Frequenter affirmant Patres malitiam peccati consistere in privatio.

OBJICIES primò varia testimonia sanctorum Patrum, universim asserentium malitiam omnem in privatione sitam esse, quæ videri possunt in Bellarmino, & Valentia citatis : sic S. Dionysius de divinis nominibus cap. 4. ait Malum morale esse declinationem veri appetitus, & privationem actionis bonæ : item Malum non esse existens, neque aliud, sed perfectionis, bonique proprii privationem. S. etiam Basilus ait, Deum non esse causam malorum : item malum esse desertionem boni. S. Damascenus malum docet esse privationem boni. S. Augustinus tract. 1. in Joannem. peccatum appellat nihil, & ob eam causam ait à Deo factum non esse : item esse defectum, alienationem, sive aversionem à Deo : quo etiam modo loquitur S. Fulgentius : S. Gregorius illud vocat tenebras. Tandem S. Justinus Martyr malum nihil aliud esse ait, quam corruptionem boni : & alia hujusmodi passim in Patribus reperiuntur, tum de malo generatim, tum speciatim de peccato, quæ probare videntur ea in privatio sita esse. Omnium verò difficillimus, meo iudicio, hac in re est locus ille S. Augustini Tomo primo lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 3. ubi sic habet : percontor vos quid sit malum : si dixeritis id quod nocet, neque hic mentemini : deinde subdit, quidquid nocet bono aliquo privat eam rem, cui nocet, nam si nullum bonum admittit, nihil prorsus nocet.

Hæc ferè sunt quæ ex Patribus afferri solent, & sine dubio probabiliter ostendunt Patres obscurius hac in re esse locutos. Nihilominus Augustinum Augustino & Patres Patribus opponemus. Inprimis itaque peccatum in positivo situm esse probat illud supra allatum ex S. Augustino tomo 6. lib. 22. contra Faustum, cap. 27. ubi rationem peccati explicans, illam per positiva declarat asserens peccatum esse dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam. Deinde Patres malum illud, quod dicunt esse privationem, defectiorem, & aversionem à Deo, affirmant esse ipsum actum & motum liberum voluntatis, qui est formalissimè quid positivum, ita enim variis locis loquitur S. Augustinus tomo 1. lib. 2. de libero arbitrio, c. 20. & alii, & S. Damascenus lib. 4. de fide, c. 27. Vitium inquit, non est substantia nec proprietas substantia, sed accidens. Et hoc sensu capiendus est S. Dionysius cap. illo de divinis Nominibus dum affirmat malum neque existere, neque inesse iis que existunt ;

R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

vult enim, ut cum explicat S. Thomas 1. p. q. 48. art. 3. ad primum, malum non esse in existentibus sicut partem aut sicut proprietatem naturalem, sed sicut accidens ortum ex naturâ creaturæ.

Variis itaque modis explicari possunt Patres secundum diversas eorum locutiones. Quando ergo dicunt malum non esse aliquid, solum volunt contra Manichæos, non esse substantiam aliquam naturâ suâ malam, quales ponebant ipsi dæmones, sed tantum esse accidens ratione naturæ superadditum. Quæ explicatio exinde suadet, quod peccatum Patres dicant esse privationem boni, quod accepimus à Deo, & aliquando possidemus : unde S. Augustinus in Enchiridio cap. 12. ait peccatum minuerè bonum subjecti, quod prius inerat, id est ut loquitur S. Thomas 1. p. q. 48. art. 4. corpore, habilitatem subjecti ad actum ; ergo manifestum est non consistere in privatione, cum habitus illa sit ipsa entitas subjecti ; minuit autem illam peccatum inducendo habitus vitiosos, per quos natura inclinatur ad actus pravorum.

III.
Quid volint
Patres, dum
dicunt ma
lum non esse
aliquid.

Quo pacto
peccatum
minuat ha
bilitatem
subjecti.

Quando autem dicunt peccatum esse privationem & nihil : primò responderi potest cum Lessio de perfectionibus divinis cap. 27. num. 179. esse moraliter loquendo, & in æstimatione prudentis viri privationem & nihil, cum sit recessus, & aversio à Deo, & à virtute ac bono rationis longissimè removeat : quam explicationem doctè & copiosè profequitur Pater Jacobus Lobbetius in erudito suo opere de peccato, libro primo, propositione quintâ. Quare Sanctus Augustinus tractatu primo in Joannem cum dixisset peccatum esse nihil, eodem loco subjungit, ipsum peccatorem & idolum esse nihil, quod de privatione rigorosè sumptâ, seu Physicâ intelligi nequit, sed tantum de moralî. Secundò dici potest, velle Patres peccatum esse privationem, seu corruptionem, non formalem, sed causalem & positivam : quo sensu ait S. Dionysius citatus, malum peccati esse privationem bonorum divinatorum, defectum habituum, & operum &c. Ratio autem est quia vel remotè vel proximè omne peccatum est causa privationis bonorum supernaturalium, mortale proxima, veniale remota, quatenus disponit ad mortale.

IV.
Quo sensu
dicant Pa
tres pecca
tum esse pri
vationem,
& nihil.

Ipsam pecca
torem esse
idolum &
nihil affir
mat S. Au
gustinus.

SECTIO QUINTA.

Alia argumenta contententia malitiam peccati commissionis in negatione consistere.

OBJICIES Secundò : actus tunc censetur malus, quando datur privatio conformitatis cum lege, hac tamen privatione ablata, tollitur etiam malitia ab actu, ergo actus malitia sita est in privatione. Contra : hoc enim argumentum clarè probat malitiam multorum saltem actuum consistere in positivo, illorum scilicet actuum, per quos violantur præcepta negativa, conformitas privatione ; quippe ad hæc præcepta consistit in privatione, ac proinde carentia hujus privationis est quid positivum, privatio siquidem privationis est res positiva privationi contradictoria. Exempli gratiâ, conformitas cum præcepto non furandi est negatio furti, hæc, autem negatio, ut supra latius dixi, tollitur per actum ipsum furandi, ergo hic actus est per se malus & peccaminosus. Verum est quidem, dum quis transgreditur præceptum positivum, semper ingreditur negatio, sed hæc transgressio fit per peccatum omissionis, non commissionis.

I.
Conformitas
cum lege in
actibus, per
quos violan
tur præcepta
negativa,
consistit in
privatione ;
ergo hæc pec
cata sita sūt
in positivo.



II. *Objic. Omne malum boni alicujus privationem infert; ergo in hac consistere potest peccatum.*

Objicies tertio: Omne malum infert privationem alicujus boni juxta illud S. Augustini lib. 2. de moribus Manichæorum, cap. 3. sect. præcedente, numero 1. citatum: semper enim malum realiquâ privat, ornatu scilicet, perfectione, proportionem, aut alio simili, ergo in illâ privatione dici poterit formaliter sita malitia. Confirmatur primo: illud est formaliter malum quod maximè distat à bono, bonum autem est esse & operari, ergo privatio est maximè mala. Confirmatur secundo: si actus sit malus, quia causat talem privationem, ergo privatio à fortiore erit mala.

III. *Malum in privatione interdum situm est, sed multò gravior est malitia positiva actus.*

Ad argumentum Respondetur distinguendo consequens: ergo in illâ solâ dici potest sita esse malitia, nego; in illâ, ita ut malitia actus non excludatur, concedo. Imò malitia positiva sæpè est gravior moraliter, ut jam ostensum est, odium enim Dei est multò gravius ratione positivi modi tendendi in Deum, quàm ratione negationis amoris, quam infert, hæc quippe subinde in eo casu non est mala moraliter, ut supra probavimus. Ad primam Confirmationem distinguo antecedens: malum morale formaliter est quod maximè distat à bono causaliter, concedo antecedens; quod maximè distat entitativè, nego. Ad secundam Confirmationem dico, & privationem illam esse malam, & magis malum esse actum positivum, ad quem sequitur, & ut, ajunt, *mali corvi mala ova*. Privatio autem illa est mala Physicè tantùm & objectivè; actus verò ad quem sequitur est malus moraliter, quæ malitia est multò gravior.

IV. *Obj. Nullum positivum esse oppositum bono, cum bonum & ens convertantur.*

Objicies quartò: malum, ut videtur ex terminis notum, est oppositum bono, sed nullum positivum est oppositum bono, cum ipso facto quòd sit ens positivum, aliquam boni rationem necessariò participet. Confirmatur: hinc enim sequeretur Deum amare ipsam peccati malitiam, cum amet quidquid in se habet bonitatem, omne autem positivum aliquam habet bonitatem, bonum quippe unum est ex prædicatis entis. Confirmatur secundò, nam ulterius sequeretur Deum esse causam peccati.

V. *Bonum variis modis sumi potest.*

Ad plenam argumenti hujus, quod præcipuum censetur in hac materiâ solutionem, Notandum bonum variis modis sumi: secundùm ergo acceptionem illam communem boni, quòd scilicet bonum illud sit cui nihil deest eorum quæ requirit, seu uno verbo quod est perfectum bonum, imprimis est transcendentale, seu essentialè ut loquuntur nonnulli, sic dictum, quod nil ei ad entitatem propriam, seu essentialiam constituendam requisitum desit. Unde nulla res positiva sive divisibilis, totalis vel partialis existere potest, quæ hoc sensu bona non sit. De hac bonitate præcisè non agunt Patres quando asserunt res seu substantias à Deo creatas debere esse bonas, volunt enim aliam eas habere bonitatem quàm merè transcendentalem, ejusmodi nimirum, ut ratione illius dicantur gratæ Deo, & propria Dei opera, atque ab ipso intenta, quæ omni enti positivo, nec secundùm auctores contrariæ sententiæ conveniunt: & parum probassent Patres contra Manichæos, contra quos hac in re præcipuè disputabant, si solùm ostendissent substantias illas esse æquè bonas, ac est odium Dei, quod habet bonitatem transcendentalem.

Non de bono transcendentali, sed de aliâ peculiaris bonitate in rebus reperià loquuntur Patres.

VI. *Aliud, & perfectius bonum est bonum prædicamentale.*

Secundò itaque bonum idem dici potest, quod in certo aliquo modo, specie & ordine completum, ita scilicet, ut res non solùm habeant bonitatem transcendentalem seu essentialiam, (hac enim nulla res carere potest) sed omnino perfectæ sint & integre, seu omnia habeant ad completam constitu-

tionem necessaria, tam quoad partes substantiales, quàm naturales proprietates. Hæc autem bonitas dici potest prædicamentalis, singulæ verò partes, sive substantia sint five accidens, ut bonæ sint, tales esse debent, ut sint naturâ suâ aptæ & proportionatæ ad hujusmodi ens perfectum constituendum, quod omni rei etiam positivæ non competit. De bonitate hoc modo sumptâ loqui videntur Patres, dum ajunt substantias à Deo creatas esse bonas. Tandem bonum relativè idem est ac alteri conveniens, de quo alibi.

Quid sit bonum relativè.

Malum etiam totidem fere modis sumi solet: licet enim nullum dari possit ens transcendentali-ter malum, cum ipso facto quòd sit ens, habeat bonitatem transcendentalem, potest tamen dari malum prædicamentale, quoties nimirum aliquid rei cupiam, vel ad substantialem vel accidentalem illius perfectionem & integritatem deest. Unde malus equus dicitur cui deest pes, mala navis cui malus, aut gubernaculum, &c. Malum similiter relativum idem sonat quod alteri nocens seu disconveniens, idque vel simpliciter, ut peccatum, error &c. vel secundùm quid, ut frigus quod igni malum est, aquæ bonum.

VII. *Dari nequit propriè malum transcendentale.*

Malum simpliciter & secundùm quid.

Hinc ad objectionem Respondetur, quantumvis res habeat bonitatem transcendentalem, adhuc posse esse alteri malam seu disconvenientem, quatenus scilicet per se nocumentum ei adfert, impediendo nimirum harmoniam, vel pulchritudinem alicui rei debitam, quæ etiam ratione una substantia potest esse mala alteri, ut ignis vehemens homini, vel ligno. Deinde quis neget esse malum habere in se aliquid ex naturâ suâ inclinans & determinatum ad effectus malos producendos, & privationes subjecto malas inferendas, quales sunt error, habitus vitiosi, & similia. Siquis autem obstinatè velit omne malum in ablatione consistere, dici potest hoc etiam suo modo rei positivæ malæ competere, quæ aufert negationem sui, quæ aliquo modo erat bona subjecto, cum harmonia, pulchritudo, & alia hujusmodi in rebus positivis ita sitæ sint, ut quasdam etiam conpotent negationes.

VIII. *Bonum transcendentale potest alteri esse malum, seu disconveniens.*

Res positiva variis modis possunt esse alia mala.

Ad primam Confirmationem, imprimis dici potest latius patere bonum quàm amabile; hoc enim præter entitatem positivam, dicit convenientiam, quæ in peccato & rebus omnibus per se malis non reperitur, unde & à Sanctis Patribus non vocantur entia simpliciter (hoc enim tantùm tribuunt substantiis, & earum proprietatibus) sed solùm entia secundùm quid. Et hoc sensu dicitur Deus Sapientiæ 11. vers. 25. diligere omnia quæ sunt, nempe quæ sunt simpliciter, quæque propriè censentur opera Dei, licet illa etiam postrema, sicut secundùm quid dicuntur esse, ita & secundùm quid dici possunt amari à Deo. P. Herice tamen 1. p. d. 18. cap. 1. num. 9. & alii affirmant peccatum, ut est merè terminus omnipotentis divinæ, à Deo amari, sub hac enim ratione inquirunt, non est malum, sed solùm prout procedit à facultate creatâ, hoc namque modo tantùm actus ille est difformis rationi, non ut procedit à Deo, sic etiam hi auctores aiunt illud esse secundùm rectam rationem, est enim conforme rationi, ut Deus indemnem servet libertatem creaturæ. Ad secundam Confirmationem latè dictum est Disputatione 28. & 29. Physicorum, quò proinde Lectorum remitto.

IX. *Latius patet bonum, quàm amabile.*

Possumus actus peccati modo dici amari à Deo.

SECTIO SEXTA.

Conceptus mali ulterius declaratur.

I. Privatio, non subiecto tantum, sed etiam rei qua privatur est mala.

EX his inferitur, privationem alicujus rei esse malam, non tantum subiecto, ut negatio caloris est mala igni, sed etiam rei qua privat. Quare (licet questio forte sit de modo loquendi) sicut in materia de actibus humanis dixi destructionem rei esse illi violentam, ita & modò puto posse eadem dici malam; sicut enim esse est rei bonum, ita non esse est malum. Deinde, illa quæ disponunt ad destructionem rei, quò immediatius ad eam disponunt, censentur pejora, quod arguit ipsam destructionem esse malum Physicè maximum.

II. Quaratione malum debet esse in bono, tanquam in subiecto.

Verum est quidem, ut hæc omnia alicui propriè competant debere illam extitisse, quo sensu dicitur malum debere esse in bono tanquam in subiecto: quod licet de malo partiali, ut plurimum intelligatur, potest tamen & de malo subiectum ipsum bonum tollente intelligi, in quo in instanti destructionis desitio est denominativè, quatenus scilicet denominat rem illam desinentem: sicut namque extitisse sufficit ad alias denominationes in instanti desitionis, injuria scilicet & similitum; unde si Angelus alium Angelum aut hominem destruere posset in instanti, nullus opinor negabit quin ei illo instanti faceret injuriam, licet in illo non existat, sed ad hoc sufficit immediatè antè extitisse, ita eodem modo loqui in præsentem possumus de malo? Et hoc sensu intelligendum existimo Sanctum Augustinum citatum, & Sanctum Thomam q. 5. de potentiâ art. 3. dum nonnulla his contraria subinde insinuat, de quare tamen jam plura subijciam.

Ad varias denominationes sufficit rem immediate extitisse.

III. Mens S. Thomæ.

Circa mentem itaque sancti Thomæ nihil certi videtur statui posse; ita enim scripsit, inquit P. Gra-

nado hic, tract. 1. Disp. 1. sect. 1. num. 6. ut credi possit eum utramque secutum esse sententiam. Unde Vasquez ambiguum ait hac in parte esse sancti Doctoris mentem: hic enim quæst. 18. art. 1. & quæst. 71. art. 6. quæst. item 73. art. 3. ad secundam, & primâ parte quæst. 18. art. 4. & alibi sæpè insinuare videtur, formale seu malitiam peccati consistere in privatione boni; item malum esse diminutionem boni, & alia hujusmodi. Respondetur tamen cum Cajetano hic, quæst. 18. art. 6. & q. 71. art. 6. S. Thomam sæpè favere nostræ sententiæ, tum quia in 2. d. 34. quæst. unica, art. 2. docet ex Aristotele cap. de oppositis, malum opponi bono contrariè, tum quia 3. contra Gentes, cap. 9. ait bonum & malum commissionis contrahi per differentias positivas, & alia hujusmodi in S. Thoma frequenter reperiuntur.

ma circa malitiam formalem peccati commissio est dubia.

Docet S. Thomam malum opponi bono contrariè.

Ad illa quæ ex ipso obijciuntur, Respondetur eum per privationem in qua statuit malitiam peccati, subinde intelligere non privationem rectitudinis in actu, sed privationem gratiæ habitualis, in qua perfici & consummari ait rationem peccati. Interdum verò per privationem intelligit recessum positivum à Deo, & boni desertionem, quæ est moraliter privatio. Pro hæc explanatione facit quod ex ipso paulo superius attulimus, bonum scilicet & malum opponi contrariè. Imò secundum eundem sanctum Thomam ex Aristotele, è duobus contrariis, id quod altero est imperfectius, comparatur ad oppositum, sicut privatio ad habitum: unde nigredinem vocat privationem albedinis, frigus caloris, malum boni.

IV.

Variis modis explicari potest S. Thomam, dum malitiam peccati sic esse ait in privatione.

Alia hic obijci solent, ut non esse possibilem puram omissionem, & consequenter quoties quis peccat, posse eum semper & debere clicere actum contrarium: item peccatum commissionis & omissionis convenire in unâ aliquâ ratione peccati, &c. quæ commodius solventur infra, cum de peccato omissionis.

V.

Quadam hic obijciuntur, quæ spectant ad puram omissionem.

DISPUTATIO CI.

Inquiruntur quadam circa peccatum commissionis.

SECTIO PRIMA.

Vtrum peccatum ideo sit malum quia contra Legem, seu quia prohibitum.

I. Certum est multa esse mala, & peccata quia sunt prohibita.



ULTA ideo esse peccata quia prohibentur, nemini dubium esse potest, illa nimirum, quæ ex se sunt indifferentia, ac proinde ideo solum sunt illicita, quia lex aliqua vel præceptum ea fieri vetat. Sic Judæis olim vetitum erat carnem porcinam comedere: sic modò in Ecclesiâ prohibitum est diebus veneris & sabbati vesci carnibus, quod proinde sine dispensatione aut legitimâ causâ facere est peccatum. Querimus itaque in præsentem utrum omnia omnino peccata, ideo peccata sint, quia hujusmodi lege prohibita, ita ut si lex non esset, similiter non esset malum morale, nec peccatum.

Status præsentis quæstionis.

Ratio dubitandi est; hic enim loquendi modus Sanctis Patribus frequens est; sic enim Sanctus Augustinus contra Faustum lib. 22. cap. 27. ait peccatum esse dictum, factum vel concupitum contra legem Dei: item de peccatorum meritis & remissione lib. 2. cap. 16. Neque peccatum erit, inquit, si non divinitus subeatur ut non sit. Idem insinuare videtur sacra Scriptura: sic enim ad Ro. 4. v. 15. dicitur: Vbi non est lex, ibi nec pravariatio, ergo de essentiâ omnis peccati videtur, ut sit contra legem. Quare Joannis primæ, cap. 3. v. 4. peccatum vocatur iniquitas, græcè ανομία quod idem sonat, ac deviatio à lege.

II.

Afferere videntur Patres peccata omnia ideo esse talia quia prohibita.

Propter hæc asserunt nonnulli peccatum omnino ideo esse malum quia à Deo est prohibitum: ita Coroll. 3. p. tract. de vitâ spirituali lect. 1. coroll. 10. S. Bonaventura in 2. dist. 34. dub. 4. Okam in 2. Quodl. 19. ad dubium 3. & 4. & Victoria, & alii. Sed contrâ: quadam enim sunt peccata adeo mala, & ex se & objecto turpia, qualia sunt odium Dei, blasphemia, & alia hujusmodi.

III.

Prima sententia est omnino peccatum ideo esse malum, quia prohibitum.